Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 367
Quelle:
Copyright:

noſter Aedem D. *Pauli* cum Velo *Chintilano*, ad quod ultimum ſolummodo Tetraſtichon pertinet, quod etiam in *Mabillonii Vet. Analect. p.* 388. proſtat, et quidem emendatius; legit enim v. ult. *pande* pro *Paule*.

VI. *fol.* 107. p. 2. Elegia 16. Diſtichorum, cujus initium:

Aurea concordi que fulgent fila metallo
Setarum cumulis conſociare volo. &c.

Si *Ducangium* edit. *Maur.* T. I. P. 2. *col.* 242. audias, Verſus hi pars forent inſcriptionis Veli *Chintilani* mox relati, legerenturque *l. cit.* apud *Mabillonium*. Sed neſcio, quid Virum πολυομματον luſerit; nec enim ibi leguntur, nec ad Velum D. *Petro* oblatum pertinere poſſunt; Amatoris ſunt potius ſtomachantis *Eucherien* quandam ab indigno peti, illudque Virgilianum: *Jungentur jam Gryphes equis*, per conglobata ἀδυνατα imitantis, concludentisque tandem:

Ruſticus et ſervus ſic petat Eucheriam.

Extant vero inter *Epigrammata et Poematia vetera Pariſ.* 1590. L. IV. p. 187. inſcripti *Verſus Euceriae*, et quidem emendatius, quam in noſtro *Codice*. Voces *Burra* et *Cavanus*, de quibus *Ducangius*, patriam *Galliam* produnt.

VII. *fol.* 108. absque inſcriptione *Rhythmi* de extremo Judicio hujus initii:

Antequam Judicii dies metuenda
Veniat. ſunt omnia mundi commouenda.
Nam per dies quindecim ſunt mundo videnda
Signa nimis aſpera nimis et horrenda &c.

Adhaerent breviora duo *Poematia* de Paſſione Chriſti, quae incipiunt:

Paſſio diuina tibi ſemper ſit medicina &c.
O mea factura de limo condita terre &c.

Autorem non reperio.

VIII. *fol.* 111. p. 2. *Iſta que ſequuntur quidam dictator* (compoſitor) *miſit Heinrico Imperatori*, et ad calcem: *Hoc ſcripſit Wibbo Imperatori haynrico.* Sunt vero *Proverbia* illa, quae *Wippo* Presbyter *Henrico* III. *Conradi Salici* Filio dicavit, quaeque apud *Marten. et Durand. Collect.*

am-